

§. 35.

*Homo creandus erat cum Intellectu, & Volun-
tate libera.*

Creatus enim erat, ut Deum coleret (§. 30.).
Creandus erat fini huic convenienter (§. 32.), adeo-
que iis dotibus instructus esse debebat, quas cultus
actu præstandus postulabat (§. 31.). Hic vero postu-
lat (quoad possibilitatem) Intellectum, & Volunta-
tem liberam (§. 33.). Ergo homo creandus erat cum
Intellectu & Voluntate libera. Q. e. d.

*Homo cre-
andus erat
cum Intel-
lectu & vo-
luntate li-
bera.*

Homo est ens finitum, adeoque in eum cadere ne-
quit Intellectus infinitus, qui soli Deo competit (§. 5.
& Sch.); impossibile itaque erat, ut homo crearetur
cum tali Intellectu, quo possit omnia possibilea distin-
cte cognoscere. Hoc etiam præterea non postulabat
finis, ad quem erat conditus.

§. 36.

*Creandus erat cum cognitione perfectionum Dei
actuali distincta, & habituali inclinatione voluntatis
agendi perfectionibus Dei cognitis convenienter.*

Creatus erat, ut Deum coleret (§. 30.), &
huic fini creandus erat convenienter (§. 32.). Crean-
dus itaque erat cum iis, quæ ad cultum præstandum
sufficiebant (§. 31.). Sed vero ad cultum actualem
non sufficit nuda facultas cognoscendi & agendi vo-
luntati Dei convenienter (§. 33.), sed requiruntur
præterea cognitio perfectionum Dei actualis distincta,
& habitualis voluntatis inclinatio agendi perfectioni-
bus Dei cognitis convenienter (ibid.). Ergo homo
creandus erat cum cognitione perfectionum Dei di-

*Creandus
erat cum
cognitione
perfectio-
num Dei
distincta
actuali.*